

---

---

# L e c t u r i s

S. P. D.

Augustus Fridericus Wilhelmus Rudolph.

---

**L**egenti mihi Lucianum, eiusque scripta potissimum seriora in otio pertractanti, ut et viri ingeniosi reliqua, si a paucis recesseris, ita imprimis haec praecepta, ad historiae rationem pertinentia, mirum in modum se approbarunt; quumque saepius repetita huius disputationis lectione non solum non minueretur delectatio, quam antea ceperam, verum etiam augetur; quumque ita mihi in ea utile cum dulci mixtum esse videretur, ut et utilitas inde percipienda delectationem nisi superare, certe aequare, et venustas eius graecae linguae amorem excitare et alere possit: digna mihi visa est, quam iuuenibus nostris, elegantiorum literarum cultoribus, explicarem. Quamquam enim non ita sum mancipatus auctori, ut, quaecumque ab eo excogitata, et scripta sunt, ea omnia probanda, laudabilia, praeclara, diuina putem; quamuis libenter non concederem, sed maxime affirma-